



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. In quo consistat, Quæ vera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Ante urbem Emaus prope trivium, in quo Christus post resurrectionem à mortuis cum Cleopha incedens, quasi simulabat se alterum pagum condere; est fons quidam salutaris, in quo homines, & animalia, lota ab infirmitate curantur. Ferunt enim, Christum cum Discipulis quòdam tempore à via ad fontem illum divertisse, inque eo lavisse pedes; & ex eo tempore aquam vim medicinalem habuisse. Sozomenus l. 5. c. 20.

Vade, lava in natatoria Siloe. Ioan. 9. 7. Cur Christus cæcum illuminaturus misit ad fontem, vel piscinam Siloe? Respond. quia Siloe erat typus Christi. Item: quia magna est affinitas fontis, & lucis; ablutionis, & illuminationis. Fons enim est quasi oculus, & lux terræ; & flumina sunt quasi limpida agrorum lumina. Cornelius hic.

Cor mihi poene exiliit, cum in S. Pauli, Sacello vidi ipsissimum locum, & columnam, in qua Doctor Gentium Neroniano gladiò capite truncatus est; atque tres limpidissimos fontes, qui ex

trino, eoque ingenti ejus capitis falcu, exiliant; & per 1600. annos continuo exiliunt. Rursum, cum vidi in Montorio collem, & Sacellum, in quo S. Petrus crucifixus fuit. In Sanct. Potentiana puteum, in quo ipsa suis manibus tria Martyrum millia sepelivit. Id. in l. cap. 26. v. 20.

Ad sacrum corpus S. Sulpitij Pij Ep. Bituricens. affiduus fons olei redundat. Et licet ignis jure capiat pabulum, liquor tamen divinitus sumit augmentum. Bollandus 17. Jan.

S. Gemmuli M. occisi sanguis in fontem profuxit; in quem lapides immissi, sive nati, ad hæc usque tempora rubescunt, quasi sanguine tincti. Id. 4. Febr.

S. Codratus M. medicus dum capite pleteretur, è saxo sanguine respersò fons erupit; quod in pluribus alijs Martyribus factum. Id. 10. Martij.

TITULUS XIII. FORMA.

§. I.

In quo consistat? Quæ vera?

Tota pulchra es. Cant. 4. 7. Totus speciosus est, cui nihil deest pulchritudinis: totus speciosus est, cui nihil in est turpitudinis. Petrus Blesens. l. 29. in assumpt. B. V.

Pulchrum vocatur ex eo, quod omni ex parte pulchrum sit, & plusquam pulchrum; quod eodem modo temper se habet: ita ut nec oriatur, nec intreat, nec augeatur, neque minuatur; nec partim pulchrum, partim turpe sit. Pulchrum idem est, quod bonum. Dionysius Areopag. l. de divin. Nominib. c. 4.

Ei, qui pulcher esse cupit, quod est in homine pulcherrimum, ornandum est: nempe meas; quam oportet quotidie pulchriorem, & magis decoram, ostendere. Clemens Alex. pædag. l. 3. c. 2.

Quæ est corporis pulchritudo? supercilium porrectum, collum erectum, digiti in longum producti, statura erecta. S. Chrylost. in illud: assistit regina à dextris tuis.

Omnis homo, dum sui corporis pulchritudinem concupiscit, procerum se esse exoptat. S. Chrystologus l. 163.

§. II.

Forma exiguum, caducum bonum.

Nè laudes virum in specie sua. Eccl. 11. 2. Deformes fuere Ælopus, Socrates, Crates, Gellius, Agestilus, Aristoteles parvus, gibbosus, deformis, balbutiens: qui tamen sapientiâ, & virtute, excellere. Ità Sanct. Paulus, Chrystostomus, Gregorius Naz., Hieronymus, staturâ parvi; & tamen tanta lumina Ecclesiæ. Cornelius hic.

Surrexerat antè floribus immixta teneris sine spinis rosa; & pulcherrimus flos sine ullâ fraude vernabat: postea spina gratiam floris, tanquam humanæ præferens speculum vitæ; quod suavitatem perfunclionis suæ finitimis curarum stimulis sæpe compungat. Vallata est enim elegantiâ vitæ nostræ, & quibusdam sollicitudinibus obsepta, ut tristitia adjuncta sit gratiâ. S. Ambr. l. 3. hex. c. 11.

Hoc, quod valde pulchrum est, hoc citò cadit. Sanctus Augustinus in Psalm. 102.

Ub nunc decora illa facies? ubi totius corporis dignitas? quâ, velut pulchrò indamentò, pulchritudo animæ vestiebatur? Marcescebat, proh! flante Austrò lilium; & purpura violæ, in pallorem sensim migrabat. Sanct. Hieronymus ep. 3. ad Heliodorum Epitaph. Nepotiani.

Quid aliud est pulchritudo corporis, nisi pulvis, & lutum? atque adeò quidpiam his etiam terrius, ac deformius? S. Chrystostomus in Pl. 43.

Certè nihil aliud, quàm gypsò incrustatum sepulchrum, esse dixeris bonam corporis formam; modò exactè cognoscas: tam diversis optata est intus fordibus! Id. parænisi ad Theodorum lapsium.

Quantò caro fit pulchrior, tantò fit anima deformior. Sanct. Cyrillus in Apologia l. 2. c. 25.

Forma est morbi, ac temporis, Iudibrium. S. Greg. Naz. or. 31.

Omnem formæ elegantiam mihi breve ver affert, eamque hyemis asperitas protinus extinguet. Id. orat. adv. mulier. se ornantes.